



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

VIII. De nonnullis notabilibus concernentibus Missarum celebrationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

ave transubstantiali participatio.  
 Hinc *Sanctus Pius Pontifex & Mar-*  
*tyr*, qui vixit anno centesimo qua-  
 dragesimo septimo, in decretis suis sic  
 ait: *Ut de obligationibus quæ offeruntur*  
*populo, vel de panibus quos deferunt*  
*Presbyter ad Ecclesiam Presbyter partes con-*  
*feras habeat, ut post Missarum solemnias,*  
*si communicare non fuerint parati,*  
*omnino ab eisdem calicibus & cibis ab-*  
*stinere cogantur.*

## CAPUT VIII.

DE NONNULLIS NOTABILIBVS  
 concernentibus Missarum cele-  
 brationem.

**N**ota Primò. Non licere celebrare  
 cooperto capite, nisi ex dispen-  
 satione & licetia, saltem Episcopi. Imò  
 Congregatio Rituum vult hanc licen-  
 tiam ad Pontificem pertinere. Existi-  
 mo tamen exigente id gravi infirmita-  
 te, & aliqua celebrandi necessitate, se-  
 cluso scandalo & contemptu, posse ce-  
 lebrare Sacerdotem capite cooperto,  
 (excepto tempore canonis) si non pos-  
 sit facile recursus haberi ad Episcopum.

Dd 4

Nota

Nota 2. Rubricas Missalis ordinariè non obligare ad peccatum, sed magis esse directivas, quàm strictè præceptivas, ita ut sint per modum instructionis. Hinc existimo quod omittens orationes dicendas à sacerdote dum se vestit, excusari possit à peccato. Item si desit crux in Altari, multi non putant grave peccatum. Passim tamen Rubricas negligere, vel eas omittere voluntariè, potest esse grave. Et quidem si illæ præscribunt aliqua substantialia, vel ad sacrificii integritatem spectantia, vel significationem specialem continentia, non possunt omitti sine peccato. ut supra dixi de cæremoniis.

Nota 3. Errorem passim esse Parochorum gaudentium confraternitate Rosarii in Ecclesiis suis, dum in festo principali quod celebratur Dominica prima octobris canunt Missam Rosarii concessam fratribus Ord. Prædicatorum. Illis enim particulariter ex privilegio est concessa, & non aliis. Sic declaravit Congregatio Rituum die 2<sup>æ</sup> Junii 1622. teste Gavanto apud Diana

*Tract. de celebr. Miss. Resol. 74.* Tunc  
 que celebranda est Missa ut in *Festo*  
*S. Mariae ad Nives*, sicut *Laurerana Ec-*  
*clesia* facit. Sic in *Festo S. Francisci*, si  
 quis extraneus celebret in *Ecc. Ord-*  
*inorum*, non debet *Præfationem* il-  
 lum recitare quam *Ordinis privilegio*  
 titant de *S. Francisco*, sed cum mu-  
 num, Similiter si ibi extraneus celebret  
 a *Festis Sanctorum Ordinis*, sciat  
 Missas aliquas eis esse permissas privi-  
 legio *Ordinis*. Tamen si aliquem *Præ-*  
 iurum advocent qui solemniter cele-  
 bret in eorum *Ecclesia* eo die, putat  
 posse illum *Præfationes*, aliaq; canere,  
 et *Missam*, ut solent, in ordine suo ce-  
 lebrare.

Similiter externi in die festivo bea-  
 tificationis alicujus Sancti concessio-  
 nialiter *Ordini* alicui non debent  
 illo celebrare, etiam in *Ecclesia* il-  
 lius *Ordinis*; quia specialiter hoc con-  
 ceditur in *Bulla Religiosis illius Ord-*  
*inis*, & ita etiam dicitur declarasse *Ri-*  
*atum Congregatio*: Attamen si *Præla-*  
 tus advocetur extraneus, ut celebret

Summam Missam, de Beato illo celebrare debet, quia repræsentat locum Prælati Ordinis; & hac censetur interpretativa voluntas Pontificis, etsi Bulla id non exprimat.

NOTA 4. Sacerdotem sibi ipsi posse ministrare Sacramentum Eucharistiæ, si non possit celebrare, nec ad se alius Sacerdos qui ei ministret. Nec ad hoc requiritur casus necessitatis; sed sufficit zelus devotionis. Non enim hic requiritur, ut sit distincta persona ministrans & sumens, ut fit in aliis Sacramentis, quia in die Parasceves se communicat, nec tamen celebrat.

NOTA 5. Si quis Sacerdos celebravit bonâ fide cum Corporali non benedicto, aut cum Calice non consecrato, vel cum aliis vestibus non benedictis, alter Sacerdos potest, secundum probabilem sententiam, in illis celebrare: nec egent aliâ novâ consecratione aut benedictione. Per hanc enim celebrationem bona fide factam censentur accepisse benedictionem & consecrationem majorem eâ quàm præ-

viè poterant accipere. Quæ enim major consecratio calicis, vel corporalis, quàm jam tetigisse corpus & Sanguinem Christi per sacrificium? Similiter nonnulli docent, Ecclesiam pollutam non egere reconciliatione nova si in ea bona fide ab aliquo sacerdote celebratum est. *Hæc est sententia Emma. Sà, verbo Ecclesia, quam sequitur Diana tr. de celeb. Miss. res. 69. citans Avilam & Castr. Pal.*

Hinc resolve casum novissimè mihi propositum à Decano & Collegio quodam Canonorum. Quidam habens curam animarum in Parochia eis subdita, altare valde humile & bassum curavit sublimari, abstrahendo torum lapidem superiorem à sepulcro inferiori. Ignorâs a. per hoc violari consecrationem altaris, quod tamen docet communis sententia; celebravit sæpius in illo altari bonâ fide. Quæritur an debeat noviter consecrari? Respondi, secundum probabilem sententiam supradictam, quæ dicit celebrationem bona fide factam, esse consecrationem

sufficientem pro Ecclesia violata, similiter & hic probabiliter dici posse esse sufficientem pro Altari, ut in eo continuetur Sacrificium. Quamvis non excusem Sacerdotem illum, quia sine licentia non debebat amovere lapidem superiorem à sigillo & sepulchro, nec in eo restaurato postea celebrare.

Sed quæstio nunc frequens est inter Pastores ruri agentes, cum his annis deplorabilibus exercitus transeuntes passim in Parochiis sepulchra Reliquias continentia in altaribus fregerint, spe pecuniæ ibi reperiendæ sicque vasa sacrarum Reliquiarum abstulerint; an sint violata illa altaria, ita ut egeant nova consecratione; si superiorem lapidem ab inferiori structura & stipite non amoverint, nec in illo quicquam fregerint?

Resp. non inveniri expressum iure quod prophanetur altare, nisi motum fuerit. aut fractum. Quod passim intelligunt de enormi fractura tabulæ superne, ita ut nō possit commodè calicē

& p-

& patenam continere. In Titulo de Consecratione Ecclesie vel altaris sic habetur cap. 1. *Si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus aut etiam diminutus fuerit, debet denuò consecrari.* Et rursus cap. 2. *Altare in quo tabula cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari.* Nulla ibi mentio fit de loco quem sepulchrū vocamus, qui continet Reliquias; ergo etiam si aliquid in eo frangatur, si modò nihil frangatur, vel amoveatur in Lapide superiori, non est opus nova consecratione.

Sunt tamen nonnulli dicentes esse opus nova consecratione, quia Sepulchrum cum reliquiis reputetur inter primarias Altaris benedictiones, suamque habeat specialem significationem; illo ergo violato violatur Altare.

Hujus opinionis erat piæ memoriæ Rev. Stephanus Strechaus Suffraganeus Leod. cum quo hanc quæstionem ali-

quando contuli. Itaque secundum hæc opinionem non esset ibi celebrandum ante novam consecrationem, nisi addito Altari portatili.

Addo tamen, si quis in tali Altari bona fide celebrasset, putans non esse violatum, idem dici posset quod supra dixi ex probabili sententia, hoc sufficere, ut in eo continetur Sacrificium. Hæc dico probabiliter, quia hoc turbulento tempore, non facile est Episcopum vel Suffraganeum in his remotis locis habere, qui de his iudicet, & denuò altaria consecret militari excursioni in prædam data. Et cum inter Canonistas disputetur, an talia altaria sint prophanata, probabili sententiæ hic favere licet, donec veniat Episcopus, quasi Propheta, qui respondeat de lapidibus istis.

### C A P U T IX.

#### *De obligatione Parochorum.*

**Q**UAERO: Quando teneatur Pastor celebrare pro populo? Responderi debet: teneatur diebus Dominicis & Festis per se vel per alium celebrare, ut possit plebs